



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Rvperti Abbatis Monasterii Tuitiensis, ordinis sancti
Benedicti, Theologi antiqui ac plane clarissimi, in Cantica
Canticorum de incarnatione Domini commentario[rum],
libri VII**

Rupertus <Tuitensis>

[Köln], 1527

VD16 B 3703

Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Leua eius sub
capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34445

¶ Fulcite me floribus, stipate me malis,
quia amore languedo. Leua eius sub capite
meo, & dextera illius amplexabitur me.

¶ Ecce abiit, ecce recessit. Comprehensus ab im-
pijs & occisus abiit in sepulchro descendit ad in-
fernum, resurrexit, & parumper uisus recessit in
caelum. Scitis autem, quicumque amici estis, qui-
cumque illum diligitis, scitis, quia quisque uestrae dicit.
Cupio dissolui & esse cum Christo. Quanto ma-
gis ego; quae illum genui cum illo esse cupio?
Reuera non quocumque cupio, sed & amore lan-
guedo. Igitur fulcite me floribus, stipate me ma-
lis. Haec mihi sit consolatio. Amore languens pro
absentia dilecti, unde possum consolari, nisi ex eo,
ut credatis, & credentes uitam habeatis in no-
mine eius o populi uniuersi? Crededo fulcite me
floribus, bene operando & fructum uitae aeternae
percipiendo stipate me malis. Ita enim fiet, ut
non lassescam fatigatione dilationis. ¶ In hoc le-
ua eius sub capite meo, quae interim dum differor
floribus uestris fulcior, & malis uestris stipata
sum: quia uester profectus, uestra salus, meum est
gaudium, & nihilominus quidem amore languedo
sed in isto consolata sum. Haec est leua eius sub ca-
pite meo, uidere me, impleri ea quae scripta sunt de
eo, quaeque ipse promisit de se metipso, uidere hoc
donum quod effudit, scilicet spiritum sanctum,
quem die Penthecostes misit, uidere euangelium
eius, praedicari ubique sequentibus signis, multi-
plicari credentes in nomine eius, reflorescere mu-
ltum ecclesiarum eius, & fructificare cunctis uirtu-
tibus, curuari in nomine eius omne genu caele-

Philipp. 1.

Actu. 2
Mar. ulti.
Philipp. 2

D

RVPERTI IN CANTI. CAN. CA. I.
stium, terrestrium & infernorum, & omnē lin-
guam confiteri, quia ipse dominus Iesus Chri-
stus in gloria est Dei patris. Leua (inquam) hæc
est sub capite meo, id est, consolatio magna qui-
dem, sed minor expectatione uel desiderio meo.
Quæ est illa expectatio? Quod est illud desiri-
um? ¶ Et dextera eius amplexabitur me, id est,
gloria patris, in qua ipse est, totam circunda-
bit & implebit me, cum de præsentī secu-
lo eduxerit & assumpserit me. Illa ui-
delz dextera, q̄lis ¶ est Psalmista
breuiter ¶ intimat, dicens: Et
delectationes in dextera
tua usq; in finem.

alias ¶ sit.
alias ¶ in-
sinuat.
Psalm. 15.

FINIS LIBRI PRIMI.